



REVERENDI MAGISTRI

CHRYSOSTOMI IAVELLI, CANAPICII, ORDINIS PRÆDICATORVM,

Compendium Logicæ, Isagogicum ad eam quæ est apud Aristotelem.

435



Drdinaturus Logicæ compendium pro neophitis intendo non recedere à via Peripatetica. Quod dico vt præferuem me à sophistarũ captiuiculis, quæ magis addiscentes confundunt, quam dirigant. In quibus nonnulli per totam vitam laborant & insudant, & nunquam ad veras doctrinas pertingunt. Neque enim verè scire desiderant, sed id tantum quòd secum disputantes irretiant, atque decipiant. Erit igitur adolefcentibus præfens compendium vt introductorium ad ea omnia, quæ Arist. diffusè in singulis suæ logicæ libris pertractauit.

Diuidemus autem ipsum in vndecim tractatus.

Primum erit, de aliquibus, vt vniuersalibus principiis præcognoscendis.

- 2 De partibus propositionis.
 - 3 De propositione.
 - 4 De quinque vniuersalibus siue prædicabilibus.
 - 5 De antepredicamentis, & prædicamentis, & postpredicamentis.
 - 6 De syllogismo formali.
 - 7 De suppositionibus propriis & impropriis, relatiuis & absolutis.
 - 8 De ampliationibus & appellationibus.
 - 9 De consequentiis.
 - 10 De probationibus terminorum.
 - 11 De syllogismo demonstratiuo, in quo continebitur tota doctrina Aristotelis in libro posteriorum.
- In hoc primo tractatu agendum est de aliquibus vniuersalibus vt præcognoscendis, sine quorum præcognitione, tendere in omnibus sequentibus per incognita. Hæc autem erunt septem: & sic præfens tract. cõtinebit septem capita.
- Primo quis fuerit verè logica primus & sufficienter auctor.
- 2 Quid sit logica siue dialectica.
 - 3 Quod sit logica adæquatum subiectum.
 - 4 Quæ sit logicæ vtilitas vel necessitas.
 - 5 Qualis scientia sit, & sub qua parte scientiæ cõtineatur.
 - 6 Quomodo in partes suas diuidenda sit.
 - 7 A quo primo incipiendum est in logica.

CAP. I. Quis fuerit vera logicæ primus auctor.

In primo cap. declarandum est quis fuerit verè logicæ primus auctor. Tu igitur aduerte quod Arist. in 2. libr. Elench. vlt. refert modum, quo reliquæ scientiæ & artes primò inuentæ sunt. Deinde quomodo successu temporis complementum susceperunt. Refert etiam modum, quo logica inuenta est primò, & sufficienter tradita.

Quantum ad primum inquit Arist. quod quilibet scientia & ars ab aliquibus primis inuenta quædam est, & excoGITATA, valde tamen imperfecte, à posterioribus autem paulatim & subtilius elaborata adeo incrementum suscepit, quod tandem completa est. Tu tamen aduerte quod vt inquit Arist. illud primum in qualibet arte & scientia inuentum, licet paruum sit, vtilius tamen ac melius est posterioribus inuentis & additis, est enim primum scientiæ aut artis principium. Licet autem prima principia inuenta sint parua in magnitudine, sunt tamen maxima in virtute, quoniam ab ipsis totum pèdet. Nã si eut arbor miræ altitudinis virtualiter cõtineat in paruo felauel. Tom. j.

minis grano, ex quo generat. sic ars & scia virtualiter cõtinentur in primis ac breuid. principiis, à primis authoribus inuentis.

Sicut autem principium primum artis & scientiæ à primo inuentum quantumcumque paruum sit, est tamen optimum, sic & difficillimum est: neque enim primum inuentor accepit ab alio, neque in parte, neque in toto: sed longa & sagaci inuestigatione tandem à se inuenit. Hinc est quod vt inquit Arist. principia prima inuenire per difficile est, facile est autem inuentis addere. Ideo ex 2. Metaph. agendæ sunt gratiæ primis inuentoribus. Nam si illi non fuissent, posteriores arti aut scientiæ non addidissent, nec ad complementum perduxissent. Hoc igitur modo aliarum artium & scientiarum inuentæ sunt, ac sufficienter traditæ: quia, si primi prima inuenerunt principia, parua quidem magnitudine & pauca numero, sed maxima & plurima virtute. Deinde famosiore magisque exercitati addiderunt multa, & posteriores ex multis collegerunt magis certa, superfluis aut incertis, aut erroneis reiectis, sicque tandem ars & scientia huiusmodi non solum incrementum, sed & cõplementum suscepit. Per hunc modum dicit Arist. in 2. elench. Omnes scientiæ rhetoriæ inuentæ & acquisitæ sunt. Nam post primos rhetoriæ inuentores secutus est Thestias, post Thestiam Theodoros, post illum multi multa inuenerunt & addiderunt. Si autem Phirnis, si non præcessisset Timotheus, Timotheus non fuisset. si instructus in principiis musæ, nec eam auxisset. Aliæ igitur artes & scientiæ primos habuerunt auctores à quibus principia, deinde posteriores, à quibus paulatim augmentum & sufficientiam receperimus.

Quantum ad secundum aduerte, vt testatur Arist. in fine lib. 2. Elench. quod licet aliarum artium & scientiarum ante Arist. inuentæ & augmentatæ fuerint per famosos auctores, vt patet de scientia naturali per Thaletem & Melissum & Empedoclem, & Heraclitum: licet admixtam multis erroribus tradiderint, quos ipse Arist. in omnibus physicæ partibus reprobat: De mathematicis per Pythagoram & Euclidem antiquissimos Aegyptios. De diuinis per Mercurium Trismegistum & Esiodum. De moralibus per Socratem & Platonem: & sic intellige de reliquis artibus. tamen logicæ scientiæ ante Arist. inuenta non fuit. Nihil inuenimus de ea ordine traditum, quo vt regula sciendi dirigi posset addiscentis intellectus ad alias scientias acquirendas. Nam, vt legitur apud Platonem in Gorgia & Protagora & Euthidem osti quam logicæ sophistæ conabantur ostendere se habere, non ad sciendum, sed ad decipiendum utebantur, totumque studium eorum erat reddere discipulos non verè, sed apparenter scientes, cum verè nihil in fine ascendendi retinerent nisi captiuiculas, frivolasque, ac deceptorias rationes. Hos igitur Socrates & Plato semper insectati sunt, ut potè non bonarum artium doctores, sed & deceptores ac illusores humani ingenij. Verum, quia nec Socrates, nec Plato artem hanc adepti sunt: ideo doctrinalem ordinem nec in sophistis reprobandis, nec in propriis conceptibus enucleandis seruare potuerunt. & licet potentes essent ad interrogandum siue dubitandum: non tamen ad respondendum & solvendum propter logicæ carentiam. Vnde Socrates fatebatur se quidem scire interrogare, at respondere nescire. Vt igitur vera scientia

Quomodo logica fuerit inuenta & aucta.

Quomodo inueniuntur artes & scientiæ.